

Papae Rom.
CLEMENT. VII. 10.Archiep. Cant.
THO. CRANMER I.Anno Christi.
1533.Reg. Angliae
HENRIC. VIII. 24.

Convocatio praelatorum et cleri prov. Cantuar. continuata ad 26. diem mensis Martii, in ecclesia S. Pauli London. Ex reg. convoc. et excerptis Heylin.

TOTA hujus anni synodus consumebatur in tractatu de divortio inter regem Henricum et reginam Catharinam. Primo die (26 Martii) habita fuit communicatio de examinatione mag. Hug. Latymer, et de confessione, et submissione, et subscriptione ejus certis articulis facta de purgatorio, de veneratione sanctorum, de peregrinatione ad imagines sanctorum, contra quos ille in villa Bristoliae contra promissum suum praedicasse dicebatur; ubi decretum fuit, quod hujusmodi submitio in ea parte facta, et manu sua subscripta mitteretur ad aliquem probum et doctum virum in partibus illis, ubi idem Latymer praedicasse asserbatur, aut praedicare contigerit in futurum. Eodem die dominus praefes convocationis regium beneplacitum proposuit de opinionibus, sententia, et determinatione quaestionis agitatae inter regem et reginam. Haec ut eo facilius a synodo obtineret, praesentavit quosdam libros, continentes, ut asseruit, dicta et depositiones testium productorum et examinatorum in dicta causa, una cum quodam instrumento tractatus inter Henr. VII. et Ferdinandum Hispaniae regem plumbo sigillato, ac alio instrumento confecto super transumptione cujusdam brevis apostolici, causam praedictam concernentis, ad quos pro informatione eorum evolvendos hortabatur. His subjunxit publice et aperte legendo sententias, decreta, et determinationes (in quodam libro impresso comprehensa) quarundam universitatum in partibus transmarinis dictam causam concernentia, quorum originalia se illis ostensurum promittebat. Tunc quaestio vertebatur, an liceret disputare in negotio regio, eo quod negotium pendebat coram summo pontifice indecisum; et dominus praefes respondebat ostendendo quoddam instrumentum confectum super transumptione cujusdam brevis apostolici, in quo inter alia continebatur, quod summus pontifex voluit unumquemque declarare mentem suam et opiniones suas in dicta causa libere et impune. Et insuper tunc dictus praefes instanter, et ex parte regis rogavit, et requisivit reverendos dominos episcopos, confratres suos, et alios praelatos, necnon clerum tunc praesentes, tam theologos quam juristas, quatenus diligenter volverent et inspicerent libros illos super praemissis, et quod cum celeritate, qua commode poterint, referrent quid inde sentirent.

In proxima sessione (Mart. 28) dominus praefes episcopus London. "produxit instrumenta originalia sub sigillis universitatum Parisiensis, Aurelianensis, Bononiensis, Patavinae, Bituricensis, et Tholosanae, quae publice perlegi jussit. Deinde post multas et longas disputationes de causa praedicta factas, praefes requisivit praelatos, ut ipsi dicerent suas opiniones de et super quaestione iis prius et tunc proposita ad normam

et formam determinationis facultatis theologiae Parisiensis, comprehendentis effectum determinationis aliarum universitatum, et hoc quam citius commode poterit. Nonnulli autem praelatorum aestimantes quaestionem esse valde arduam, magnique momenti, petierunt tempus deliberandi, quod communi consensu ad horam 4. pomeridianum protraheretur. Ibi ex instrumento Parisiensi dominus praefes proposuit hanc quaestionem: An nuptiae cum relictis fratrum decedentium sine liberis sint sic naturali juri pariter et divino prohibita, ut super talibus matrimoniis contractis sive contrahendis summus pontifex dispensare non possit? Ad illam quidem quaestionem post nonnullas disputationes, episcopi London. Assaven. et Lincoln. cum 36. abbatibus et prioribus respondebant, opiniones suas super quaestionem hujusmodi conformes esse determinationibus universitatum praedictarum."

In sequenti sessione (Mart. 29.) rursus disputatum est de quaestione praedicta, cui abbates Gloucestr. Thorney, Bermondsey, Vallaecrucis, Crolandiae, et Lilhul respondebant priori determinationi assentientes, hoc addendo; "si dicta relictia prius erat carnaliter cognita a fratre mortuo."

Ultimo die Martii commissio episcopis Lond. Winton. et Lincoln. ab archiepiscopo facta exhibebatur, et convocatio in primum diem Aprilis continuabatur, ubi reverendissimus compars in domo capitulari, diversas habuit communicationes de et super rebus ac negotiis causam dictae convocationis concernentibus. Sequenti die reverendissimus convocavit inferiorem domum, ut audiret eorum opiniones de quaestione, viz. "An ducere liceret uxorem cognitam a fratre decedente sine prole, et an sit prohibitio juris divini indispensabilis a papa?" Et affirmavit prolocutor, tunc et ibidem ex opinionibus et sententiis majoris partis theologorum, casum quaestionis praedictae de jure divino esse indispensabilem; cui, juxta schedulam Will. Say, registrarum, 14. consenserunt; 7. illud negaverunt, et unus dubitavit, et unus affirmavit casum esse juris divini et moralis, sed dispensabilem. Sequenti die (April 3.) prolocutor cum clero exhibuit episcopo London. praefidi opiniones canonistarum super sequenti quaestione, viz. An carnalis copula inter serenissimum principem Arthurum et serenissimam dom. Catharinam expropositis, exhibitis, deductis, et allegatis in domo inferiori, sit sufficienter probata? quod sc. carnalis copula inter praedictas illustrissimas personas sufficienter probata extitit; et ita uno ore et omnium illorum consensu determinabant, salvo quibusdam ex iis protestationibus quibuscunque coram reverendissimo Cantuar. archiepiscopo in domo superiore exhibendis. Eodem hoc die D. Wolman prolocutor